

Bibliothèque numérique

medic@

Géraud, Mathieu - candidat / Gardane,
Joseph-Jacques - président / Roux,
Auguste - auteur. - Utrùm homo
sanus, qui & bene valet suae spontis
est, nullis obligare se legibus debeat
?

1783.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°92bis***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0092bis



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-septimâ
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXII.*

M. JOSEPHO-JACOBO GARDANE, Censore Regio & Regiæ
Scientiarum Societatis Monspeliensis necnon Regiarum Academiarum
Nancei & Massilæ socio, Doctore Medico, Præside.

Utrùm homo sanus, qui & bene valet & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debeat?

I.

TRITUM & vulgatissimum proverbium est, *Miserè vivit, qui medicè vivit.*
Quam calumniam in Medicinam non iniecissent voluptatum sectatores, si,
melius perceptis, quæ tradit ad sanitatem tuendam, præceptis, boni & mali falsas
non concepissent ideas. Miseri! qui vanâ felicitatis imagine delusi nubem pro
Junone captant. Quæ enim absque sanitate felicitas, aut quæ miseria morbo
æquiparanda? Tantum abest igitur ut infelices dicendi sint, qui præceptis Medi-
cinæ obtemperantes sanitati consulunt & morbos præcavent, ut è contrâ soli
felices sint prædicandi, cum soli fruantur valetudine, fundamento absque quo
perit necessario omnis voluptas.

Propugnata, 26 Februarii 1761, M. Augustino Rorix, Thæses Authore,

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

2

Tantò autem magis sunt increpandi illi obtrectatores Artis saluberrimæ, quòd præceptis suis non minùs prospiciat Medicina voluptatibus quàm sanitati : nullà namque voluptas potior illà, quàm antecedit naturalis appetitus, & ut illum integrum servant non minùs temperantiam sapientiores Epicuri sectatores, quàm Hippocratis alumni commendant. Sed ut talem contumeliam à doctrinà medicà melius avertam, propugnare aggredior in agone hodierno effatum illud ex *AURELII CORNELII CELSI, de Medicinà Lib. I. Cap. I. Desumptum, sanus homo, qui & bene valet, suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet.*

I I.

SANUS vocatur qui omnes functiones non solùm absque labore, sed etiam cum oblectamento valet exercere, aut reipsà datà occasione exercet. Nec tamen ex sanorum numero statim rejiciendus, qui cum aliquali labore quibusdam fungitur functionibus; dummodò ista læsio sit levis, nisi ad breve tempus, & præsentè causà lædente persistat. Itaque quamdam veluti *latitudinem* habet valetudo, & intrà limites non adeò angustos continetur. Alii enim non nisi à causà gravi, alii verò à causà vel levissimà lædi possunt; sani quidem utrique dicendi, attamen sani præ cæteris haberi merentur, illi quorum functiones difficillimè turbantur, siquidem diutius illibata persistere potest eorum sanitas. Sed diversum vitæ genus habere illos debere, ex inde patet quòd alii lædantur à rebus, quas facillè ferant alii: rerum enim non naturalium usus habetur bonus aut malus, prout confert vel nocet sanitari cujusque individui. Quis Medicus idem vitæ genus imperare auderet debili mulierculæ, teneroque infanti alioqui sanis ac milite aut illi, ut verbis Poëtæ utar, *gravem duro terram qui vertit aratro*. Itaque non omnibus sanis præcipitur præceptum illud Celsianum, sed tantùm sanisqui benèvalent, id est, quorum levi de causà functiones non læduntur.

I I I.

MA X I M I interest vel & sanissimis ut constantem & firmam illam valetudinem inconcussam servant; quod ut consequantur necesse habent eam præsidii contrà externas injurias munire: namquè licet sat roboris insit in illis ut propulserint causas leves quæ sanitati insidiantur; attamen si repetito ingruant causæ lædentes vel levissimæ, paulatim labefactando illam sanitatem, tandem corruiere facient. Nullum autem præsidium tutius adinveniri potest in illo casu ipsà consuetudine, cujus tanta est potentia, ut à vetustissimis sapientiæ Professoribus, quasi altera quædam habita natura sit, & monente divino *Hippocrate*, Aphor. 50. Sect. II. *à multo tempore consueta, etiam si fuerint deteriora insuetis minus turbare soleant*. Per consuetudinem verò hîc intelligi volumus rerum sex non naturalium usum peculiarem repetitum & aliquandiu continuatum, quo fit ut organa machinæ animalis apta evadant ad motus suos statis temporibus aut modis edendos. Adeò enim sunt comparata illa organa, ut motus quibus pluries moti sunt, repetant semper eodem modo; sic qui à causà quâcumque externâ aliquoties somno excussus est horâ determinatâ, euigilatur sponte eâdem horâ: affici etiam desinunt à causâ quæ pluries illa laceffivit: Indiarum incolæ nullam vim opii, cui assuescunt, soporiferam experiuntur; Agricolaë Calabrini & Siculi vescuntur mannâ quâ alvus solvitur cæteris hominibus.

Debet ergo assuefieri sanus homo omnibus rebus non naturalibus, quarum actionem olim experiri poterit. siquidem illud absque ullo suæ valetudinis detrimento ferre potest; talis est enim constitutionis ejus vis & robur, ut minimè lædatur à

3
 levi abusu rerum non naturalium, dummodò hic abusus non sæpius statim repe-
 tatur, sed tantùm per vices & paulatim assuescendo. Quis enim adeò sanus ut
 hesternâ coenâ crudus possit sese novis alimentis ingurgitare absque noxâ. Si quo tem-
 pore assuesceri sic possumus rebus non naturalibus maximè in primâ infantia, in quâ
 nulla consuetudo jam contracta obstat quin contrariis assuescamus. Discant ergò
 parentes quàm malè agant cum pueris suis, quotiescumque illos ad statum vitæ genus
 addicunt, calidioribus cubiculis coercent, vestimentis onerant, aut illis denegant
 usuram aëris, exercitia interdiciunt, &c. Quid mirum, si exindè delicatuli exurgant,
 si inhabiles evadant ad munia vitæ adimplenda. Maneat itaque altâ mente repositum
 illis parentibus, si caram progeniem velint sanam vivere, utilemque civibus &
 patriæ, debere tùm omnibus tempestatibus anni, tùm omni ciborum generi
 assuesceri.

I V.

OPORTET igitur, ut præcipit CELSUS noster, hominem sanum *varium*
habere vitæ genus, modo ruri esse, modò in urbe, sæpiusque in agro : navigare,
uenerari ; quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Prodest etiam illi interdum Bal-
neo, interdum aquis frigidis uti : nullum cibi genus fugere quo populus utatur : interdum
in convivio esse, interdum ab eo se trahere : modò plus justo, modò non amplius assumere :
bis die potiùs, quàm semel cibum capere : & quamplurimùm, dummodò hunc concoquat.
Illi concubitus (si legitimè frui licet) neque nimis concupiscendus, neque nimis per-
timescendus est : rarus, corpus excicat, frequens solvit. Cum autem frequens non numero
fit, sed naturâ, ratione ætatis, & corporis, scire licet, eum non inutilem esse, quem
corporis neque languor, neque dolor sequitur.

En præcepta quæ Medicina tradit sanis hominibus. Sic omnibus rebus assuefacti,
 nullis indigebunt, aut potiùs quâque harum carere poterunt, & tamen indè nul-
 lum capient detrimentum, cùm vices illius supplere facillimè possint, substituendo
 res æquè assuetas. Quid verò dulcius illo vitæ genere, in quo homini valido frui
 datur paratis ; in quo malesano urbium tumultui succedit amœna quies rurum, ubi.

*Libet jacere, modò sub antiquâ ilice,
 Modò in tenaci gramine.*

Ubi

*Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
 Apros in obstantes plagas,
 Aut amite levi rara tendit retia,
 Turdis edacibus dolos,
 Pavidumque leporem, aut advenam laqueo gruem
 Jucunda captat præmia.**

* Horat.
 Epod. 11.

Et si edaces curas fugare potest, omni ex parte beatus dici meretur. Desinant
 ergo miseros prædicare, qui medicè vivunt, siquidem felices verè dici possint soli
 viventes medicè.

V.

ATTAMEN quando quidem,

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
 Quos ultra citràque nequit consistere rectum.**

* Horat.
 serm. Lib. 1.
 satyr. 1.

4
Cavendum monet idem *CELSUS* ne in *secunda valetudine*, *adversâ præsidia* consu-
mantur: Quod certè cavere non poterit homo sanissimus, si à prudenti & sapien-
tissimo Medico non edidicerit quæ illi consecranda, quæ verò fugienda sunt, si
ab illo non acceperit præcepta quæ superius tradidimus; aut si, quod caput est,
non sit certior factus se esse de numero illorum, quibus unica lex præcipitur *ne se*
ullis legibus obligent. Undè sat mirari non possum quod auctor cæteroquin sapiens
& doctrinam medicam apprimè edoctus subjecerit, veluti novum præceptum,
cum cæteris aded parum congruens, hominem sanum, *neque Medica neque Iatra-*
liptâ egere debere. Sed licet erroneum illud præceptum rejicere cogamur, non
impediet tamen quominus cum illo concludamus.

Ergo sanus, qui & benè valet, & suâ spontis est, nullis obligare se legibus debet.

Proponebat Parisiis MATHÆUS GÉRAUD, Claromontanus apud Alvernos,
Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus. R. A. S. H. 1783. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1783.